

III.
NEOVIDENSIS

Nro. 87. (Neovidensis 1808. Nro. 86.)

Politica Colloquia.

De Hollandia.

Elysium-Meum.-DieMartis 8. Nov. 1808. (Neov. 21, Oct. 1808.)

Hollandiam fluctibus maris ereptam incolarum
industria rerum omnium ubertate auxit,
quin tamen luxum pareret.

Scaliger.

Ita celeberrimus Scaliger jam anno 1602 de Hol-
landia, quæ hodie quoque vera sunt. Non
memoratis revolutionibus, quibus hæc pro-
vincia præ omnibus aliis maxime fuit obno-
xia, quamvis divitiis etiam, quibus vel in pri-
mis homines depravantur, plurimis abunda-
ret, provincia tamen ista suis avitis moribus,
industriæ, diligentæ, & parsimoniam fida per-
mansit.

Inter duas magnas Potentias, Galliam &
Angliam sita, omnium bellorum maritimarum,
quæ ab his gesta sunt, particeps esse debuit.
Nihilominus independenciam suam, & Com-
mercium semper conservavit. Hollandi be-
neficio aquæ merces per totum orbem pro-
movebant; & nec nunc quidem desunt in
Hollandia millionarii, qui Commercium am-
babus ulnis erigere vellent, nisi præsentia tem-
porum adjuncta omnem Communicationem
intercepissent.

Nota est Hollandorum in Commercio honestas, ordinisque amor; non eos ullum genus luxus in transversum agit. Millionarius, veluti mediocris sortis quisque, vitam domi agit. Flores, & horti solæ adhuc res sunt, quibus aliquid impendit. Atque huic parsimoniam tribuendum potissimum est, quod Hollandiæ commercium semper florens permanserit, imo quod aliarum civitatum vergente Commericii felicitate *Hollandiæ contra* creverit. — Et si post breve temporis spatium universalis pax stabilita fuerit, procul dubio pristina etiam Hollandorum industria reviviscet. Ex revolutionis procella Hollandia feliciter liberata est; independens, & distincta civitas, novissimo hujus vocis apud Politicos significatu, perstitit, & quo etiam ab internis tumultibus immunis esset, eam unitatem est amplecti, quæ non nisi in regno commode, compendiose, & majori cum concordia haberi potest. Hinc Hollandia regnum effecta est.

Ludovicus Rex Hollandiæ, teste recentissima historia, tot tantisque temporum malis, quæ florentem felicemque olim Rempublicam prostravissent, propulsandis impar, quidquid virium erat, in id convertit, ut innumeris illis, quæ jam inflicta reperisset, vulneribus mederetur, & populo suo sati conditionem tolerabiliorem redderet, quæ tot nobilibus animis sanguineas lacrimas expresserat. — Ludovici proinde regis futuræ gloriæ jam nunc apud æquos rerum æstimatores, jacta est alea; & si aliquando *severa histori*

illa veneranda orbis iudex, in cuius lance Corona & mendici baculus tantundem ponderant, & non nisi præclare de genere humano merita momentum addere possunt, si hæc inquam, ad Ludovici nomen vel paucas illas lineas adjecerit — certe perspicuum fiet, Ludovicum Napoleonem non inanem & otiosum respectu humani generis vixisse.

Vix duo regiminis ejus anni effluxere, & ecce regnum Hollandiæ jam plura elegantissima efficacitatis illius numerat monimenta, quorum olim vel singula suffectura erant ad alicujus regis nomen oblivioni eripiendum. Duo tantum sunt anni, & hoc tam angusto temporis spatio videmus mare cum Rheno per Kotwycensem canalem conjunctum; magna præpugnacula promoverunt Commmercium internum; Hondsholredigi effloruit Schola, in qua civiles virtutes, & militaria ingenia certatim se explicant; Jurisprudentia quoque nova inducta, cujus basis Codex Napoleonis, directrix vero regula localitas Hollandiæ, mores & exercitia sunt. Debita Status e fundamentis excussa, & quo facilius eorum ferendorum onus fieret, sapientissima reddituum publicorum distributio inducta. Ordo equestris honori, meritis publicis, & Concordiæ innixus, throno splendorem & unionem, Civitati imitatione digna exempla suppeditavit; miseris per instituta publica, æquali jurium Civilium usui per uniformem & accuratam munerum publicorum administrationem prospectum.

Non minus etiam regium institutum scientiarum & artium, sine quo Civitas quasi verno quodam obruta, nec suam potentiam debite æstimare, & adhibere, nec suum inter alias Potentias honorem recte tueri potest, suam existentiam primo Hollandiæ Monarchæ in acceptis referendam habet.

Talis est Ludovicus Rex Hollandiæ nunc, in hac temporum difficultate, his rerum angustiis, his periculosis temporibus; quantas ergo erit felicioribus temporibus, cum maria & orbem libere permeare licebit? — Una vox in Hollandia ubique resonat: — Deus Regem nostrum conservet!

Dum Hollandia tali ratione perfectissimo otio perfruitur, & amplissimam in futurum spem concipit, interim meridionalem Europam belli multiplices calamitates exercent, Ita dd. 12. Oct. Mediolano sequentia significantur:

Asculo (Piceno) quæ civitas in Marca d'Ancona sita est, nuncio dd. 31. Aug. perfertur nobis, quosdam nefarios homines, ab æternis continentis hostibus seductos, prætextum conscriptionis ita detorsisse, ut quibusdam communitatibus, vicinisque accolis persuaderent, omnibus ad castra proficiscendum esse. Hi infelices per manipulos 6—700 Capitum collecti, obsederunt verticem montis Rocco, qui civitati nostræ a septemtrionali plaga imminet. Hos quidem manipulos 50 Dalmatarum in fugam egit, sed insequente nocte iterum ad eundem locum reversi sunt, &

eum diluculo eorum 300 ad ipsam civitatem accedentes, ex duabus partibus urbem oppugnare coepissent, aliis 400 interim in vertice montis sese continentibus, amor Patriæ ac regiminis, & expilationis metus civibus animos indidit, ut, inito trium horarum pertinaci certamine, hunc latronum globum in fugam ageret, & dispelleret. Quo confecto nostri in urbem reversi a Commendante pro ratione meritorum collaudati sunt. Tribunus vigiliarum Bobillard, cui nostra urbs æternis gratiis obstricta est, non secus etiam noster Vice-Prefectus, Capitaneus Hessich, & officialis Civitatis militiæ Campagnoli, nos hac occasione, magno periculo liberarunt. Plures horum quietis turbatorum in proelio occubuerunt, pars vulnerata est. Ex nostra parte tantum unus voluntarius, & duo Dalmatæ sunt vulnerati. Fideles cives Castelli Caratto quemdam Tuteurone Custodiæ mandarunt. Neapoli est, & primipilus illius manipuli.

Auditur etiamnum istorum nefariorum hominum persecutionem durare. Persequentis agminis ductor Perin, parvam urbeoulam Forza, ad quam ab anno 1799 maximi rei se recipere solebant, expugnavit, incolis ferro enectis.

Multo lætiora sunt, quæ Neapoli dd. 6. Oct. perferuntur. — Insula Capri e regione Neapolis, quam Angli jam a duobus annis, quo tempore iis obnoxia est, ita instruxerunt, ut pertinacissimum incursum hostium sustinere posset, a gallicis & Neapolitanicis Copiis

non modo oppugnata, sed etiam occupata est. Manipulus 2000 Caputum, qui mox ab adventu regis sine mora ad motum dispositus fuit, nocte a 3 in 4 vergente, duce Divisionis Generali, & Præfecto Stabi, Lamarque abhinc movit. Mane hora 8 initium pugnae in omnibus punctis datum; & hora vespertina 5 ex-censio perfecta est. Anglica tormenta sensim occupata, & a matutino hujus diei tempore insula tota in nostram ditionem redacta est, excepto unico fortalitio, quod adhuc a Commendante anglicano cum exigua militum manu tenetur. Etiam in hoc fortalitium magna vi impetus factus, jamque omni momento de illius traditione rumore præstolamur. Usque ad præsens tempus 900 in nostram venerunt captivitatem, qui jam hic adsunt.

De hispanicis rebus ea solum novimus, quae ephemerides continent; determinati nihil. Literæ Amstelodamenses de 10. Oct. significant, primam divisionem gallicarum in Port. Copiarum 6000 capitibus constantem, jam in naves illocatam esse, quo in Galliam transponeretur.

Russica Classis 12. Sep. Lisabona solvit, eam 7. angl. lineales naves in cursu versus Angliam comitantur.

Hispani qui in Tago prope Lisabonam Anglis se adjunxerant, iterum ad ripas Iberi revertuntur, 20 millia Anglorum, Duce Gen, Moore eos insequuntur.

Nova iterum expeditio 15 mille anglicis Copiis constans Volemuto (Falmouth) solvit, & erant qui contenderent, Hispanos sub ductu

Marchionis de la Romana in septentrionali Hispania excendisse.

Ex omnibus his relationibus conjectura formari potest, Insurgentes Hispanos id agitare, ut unum Corpus forment, quod si evenerit, non exiguum pro gallico exercitu inde hoc commodum redundabit, quod eos in corpore aggredi poterit, cum hætenus magis lacessendo intenti, omnem pugnam decretoriam vitaverint.

Nonnihil determinatius est, quod de præparatlonibus 16. Oct. litteris Parisinis perhibetur, quod in his positum est: — Hodie sequentia Parisiis Bayonna dd. 11. curr. innotuerunt: „Heri Grenatarii ex Prætorianis Regis Josephi Napoleonis huc adpulerunt, & hodie iter suum in Hispaniam prosecuti sunt. Cras venatores Prætoriani venient. Hæ Copiæ omnes eximix Neapoli veniunt. Hodie mane vidimus unum regimen gallicum huc subintrans, alia duo cras, vel post cras venient, & hic Copiarum transitus usque mensem Novembrem durabit. Primis hujus mensis diebus, manipulus quidam Insurgentium ex Valenciaca ora Madritum venerat. Manipulus iste ex rusticis constabat, qui expertes disciplinæ, crassissimis excessibus se dediderunt. In pluribus per urbem locis expilationes suat commissæ, & nonnisi summa cum difficultate permoveri poterant, ut se ad exercitum, ut vocant, activum, reciperent. In fortalio Marroc magna contentione fiunt adparatus ad excipiendam Suam Maj. Imp. & Reg. Napoleonem. Is intra decursum futuri mensis huc venturus expectatur.

Erfurto (18. Oct.) Catholicus Parochus, & Professor Univer. Jenensis D. Heinrich, cui a Sua Maj. Imper. Napoleone demandatum fuit, ut se ad Suam Excel. Status Secretarium Maret conferret, 15. hujus Erfurto Jenam advenit. Is una adtulit Decretum, virtute cujus Sua Maj. Civitati 300,000 Franc. dono dat; quæ summa inter eos dividenda præcipitur, qui occasione pugnae ad Jenam aliquo damno sunt affecti. Præterea Sua Maj. donat: 1) Universitati Dominium Blenkenheim; 2) 24 mille Franc. pro emendo sine exstruendæ Catholicæ Ecclesiæ fundo, & 3) 3000 Franc. annuorum reddituum titulo dotationis ejusdem Ecclesiæ.

Sua Maj. Imp. Crucem honoris legionis donavit Parocho Heinrich, Consuli Vogel, & Medicinæ Doctori Stark. Parochus Heinrich ineuper est Canonicus, & simul Professor Erfurti denominatus, D. vero Stark pensionem 2000 Frank. accepit.

Sua Maj. Rex Saxoniae 15. hujus vespere in magno honorum Lipsiensium júbilo Lipsiam advenit. Cives erant in armis, Civitas illuminata. Quantus amor utrinque, quanta sublimibus virtutibus decorata honestas! Sua Maj. sequenti die Dresdam profecta est.

Elysium

Dat

C
F

Weis

svet

tend

leu

sta,

tum

xa s

ta t

usqu

genu

dies

esse

dam

coru